




4/2006

IDIBVS APRILIBVS

MMVI



TOMVS 28

FASC. 160

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in aedibus, quibus nomen EDITIONS ECLECTICA est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	CHF	30.-
In ceteris terris	CHF	37.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Estelle (Stella) Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,

C/o EDITIONS ECLECTICA Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium — Bankverbindung/institut bancaire:

Banque Cantonale de Genève, Quai de l'Île 17 — C. p. 2251 — 1211 Genève 2

Estelle Gitta, Societas Latina Helvetica,

Compte Z 3281.88.11 IBAN: CH18 0078 8000 Z328 1881 1 SWIFT: BCGEGHGX

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS ECLECTICA herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS ECLECTICA

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 200

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse	CHF	30.-
Ausland/Etranger	CHF	37.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:

Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Praeses honoris causa: Ulrich Aeschlimann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition

RVMOR VARIVS,

c/o EDITIONS ECLECTICA, Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius



古之君子紛紛而求下
此故其言必四事
仙之人兮列如華
志懷得以婉動
悅情起而長嘆
惟強時之托庸
夫西來之禮俗
世間行誦亦如此
古來萬事東流亦
別處去兮何時還
豈敢自飛丹度周

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Tandem ver diu desideratum adesse videtur. Ad hoc tempus aptum vobis proponam aliud carmen ex illo *Cantu de tellure* a Gustavo Mahler composito, de quo in libello antecedente vobis narravi. Nunc quintum eorum carminum (illud quoque secundum poetam Sinensem Li-Tai-Po) in Latinum vertere conatus sum:

Ebrius tempore verno (Der Trunkene im Frühling)

Si somnium tantum est vita,
cur labor et molestia?

Bibo, quoad non iam possum,
totum et gratum diem!

Et cum bibere non iam possum,
quod fauces et anima plenae sunt,
titibo usque ad portam meam
et dormio mirabiliter.

Quod audio expergiscens? Audi!
Avis in arbore cantat.

Eum interrogo, num ver iam adsit,
in somnio mihi versari videor.

Avis fritinnit: Adest!

Ver adest, nocte advenit!

Ex visu somnii profundissimo ausculto,
avis cantat et ridet!

Poculum denuo impleo
et exhausto usque ad fundum
et canto quoad luna lucet
in caelo nigro!



醉舟已過萬里山
雨岸猿聲啼不住
千江流水日東流

Et cum cantare nondum possum,
iterum obdormisco;
Quid ver ad me pertinet?
Me sinite esse ebrium!



Ergo vos quoque vere fruamini. Non oportet vos bibere usque ad ebrietatem.... Forsitan magis placet cantus avium audire vel flores varios mirari.

Sed nolite oblivisci argumentum, quod proposuimus:

De rerum natura

Multum temporis vobis est ad symbolas componendas per totam aestatem, quam multos dies calor hilaritatisque plenos et noctes iucundas dulcissimasque vobis allaturam esse spero. Multa opera nobis mittatis quaesumus, ut plenus sit libellus 5+6/2006 scriptorum vestrorum. Maximas gratias!

Valete!

D. Weissmann

Daniel Weissmann

De re publica (I)

Nam putavi me, cum in terris essem, hic liberum esse oportere. Quod si apud Barbaros natus essem, non tam regnum ut imperarem invasissem, quam ne parerem. Nunc, in populari civitate natus, gentium domitoris gloriam adeptus sum, cum famam liberi viri quaerem.



Stella Gitta



De Nozeretho oppido


Anno 1553 scripsit Gilbertus Cognatus* de oppido Nozeretho, patria sua, haec:

Prioribus autem saeculis et antequam moenibus cingeretur *Nucillum* ac *Nuceria* a corylorum nucum proventu dictum fuit. Hic enim frequentibus corylis consitus erat et ipsum oppidum inter coryleta iacebat. Sed princeps Ludovicus a Chalon, hoc nomine primus, ab expeditione Hierosolymitana in Burgundiam reversus, incarnatione verbi caelestis reverentia motus restaurat et ampliato atque moenibus cincto oppido Nazareth nomen indidit (quod interpretatur floridum vel virgultum), a Nazareth, Galileae urbe. Sed oppidi nostri hebraeum nomen a principe nostro velut in coloniam tractum vulgus *A* in *O* et *E* immutato Nozereth (hodie Nozeroy) pronuntiavit.

Hoc oppido vix vidisti situ spectabilius et amoenius aliquid. Id enim editiori et aereo colli impositum umbilicum superioris Burgundiae agnosceres. Nam, quantum circuitus, tantum habet planitiei, reliquum in valles ab omni plaga orbis declinat.



Nozerethum autem nostrum nunc in trianguli figuram ita pulchre constructum existit ubique, ut nullius privati insulam, sed magnatum iurares unamquamque domum. Domus enim in universum lapideae sunt, et earum in commune aequalis ordo: inter quas primas tenet, quam magno sumptu oconomus Principis, Leo cognomento a Nozeretho, decenter aedificavit, quae in oculis quotidianoque populi Nozeretensis aspectu posita est.



In oppidi porro extrema austrum versus et praecipua parte est Arx Principis amplissima et aedificio superbissima quadrato et ad regulam aptissime coniuncto lapide constructa, uno communique cum urbe



Nozerethum

1 Castellum

2a Gilberti
Cognati
bibliotheca

3 Franciscanorum
conventus

4 Turris horologii



post quas est porticus sive cavedium magnificentum.

Intra arcis muros in medio est spatium quadratum et vacuum, area quoque dicta, in qua sunt quatuor angulares turres sive cochlidia, claviculata et tortili structura, per quae ab imo et cenationibus in superiorem arcis partem ac cenacula ascenditur neque prius quam centenarium expleverint numerum desinentia. Hic enim absolutus numerus scararum terminus est. In medio areae est cisterna et ad primum cavedium fons proflucus.

Ad Occidentem est aliud cavedium, post quod sunt profunda cochlidia, quibus in stadia, hortos et viridaria descenditur: in quibus sunt porticus, areae magnificentissimae, vivaria, apiaria et piscinae circumquaque item turres et propugnacula. In cenationis autem orientalis extremo est delubrum, in quo musici aliquot rem divinam sacramque peragunt. Proxime et secundum hoc est cochlidium omni cura et arte exstructum ad



2b Canonorum collegium

muro inclusa atque octo turribus praeexcelsis valida munitaque; quarum maior magnifica et elegans, plumbo intecta, inde illi nomen *Plumbea turris*. Reliquae sunt petra tectoria integulatae. Arcis tecta ex coctilibus operimentis sunt contexta. Eius introitus ad aquilonem per aream, quae prima occurrit ante arcem, aedificiis et muris undique septam, in qua equilia, horrea, ferraria et macellum sunt. Dehinc vallum et praecipites fossae sequuntur, quibus undique praecingitur arx; et in his pontes ad geminas portas,

turrim, quae foris est angularis et quadrata; fastigio huius cochlidii est appensa delubri campanula.

Pro apparatu autem parietum insunt etiam picta lapeta aulaeque aurea et versicolori textura spectabilia, quorum praecipua sunt, quae veteris et novi Testamenti argumenta continent. Haec arx hactenus ob loci amoenitatem, salubritatem et venationis copiam ab Aurengiae principibus culta fuit.

Sed nunc in civitatem revertamur, quae habet duo Collegia: alterum Canonorum, alterum Franciscanorum minorum. Utrumque ingentia aedificia splendida ac magnifica templa marmore, signis, tabulis, picturis atque omni nitore fulgentia habet. Nec etiam caret *πρωχοδοχειω*.

Circiter autem annum Christi millesimum quadringentesimum, Ioannes a Chalon, Aurengiae princeps, et Maria de Baul, eius uxor, in xenodochio paene vetustate collapso novum D. Antonio dedicatum templum maximis sumptibus exstruxerunt et posuerunt [...]. A Calendis autem nomen habet hoc sacellum, quibus singulis olim caelus inter se celebrabant atque re divina sacrisque rite peractis lepidissime convivabantur. Sed hodie quater tantum in anno et ad sacrificium et ad convivium conveniunt.



D. Antonii templum



Turris horologii



Portae autem oppidi, praeter *Portellam*, duae sunt: una horologii dicta contra aquilonem, quae praeter propugnaculum altam et magnificam turrim habet, forma quadrangulari, sed in nullo fere alio usu, nisi quod horologium continet; altera Nodi frontis ad occasum, cui quoque cum propugnaculis est turris alta et quadrangula, prope quam sunt xenodochium et studiorum gymnasium, quo adventantes excipiuntur pauperes.

Habet praeterea hoc oppidum praeter vias mundissimas silicibus stratas, quos Trebium vicus suburbio proximus copiose subministrat, amplissimum forum et macellum, in quo omnis generis merces et, quae ad quotidianum usum necessaria sunt, venalia habentur. Iuxta quod est Praetorium. Habet et cisternas altissimas et elegantissimas quatuor, fontes item amoenissimos tres, quorum margines includuntur lapidibus sectis artificio indissolubili; tum moenia elegantissima quadrato etiam lapide circumque vagari licet. Turres frequentissimas aequis inter se spatiis disiunctas fossas, propugnacula, suburbia, hortos exultos amoenissimos et apricos, arborum et herbarum esulentarum et quae ad nostra medicamenta conveniunt, quaeque blandiuntur naribus, quaeque gulae faciant suavam oblectamina orexin, feracissimos.



Huius loci incolae sunt civiles, sermone blandi (horum enim lingua inter ceteras imprimis elegans, suavis et aulica est), moribus mansueti, vereque pietatis in Deum cultores. Bellicosi etiam, ubi res exigit, suoque principi

valde fideles. Nec neglegunt studia, praecipue litterarum meliorum, quas aliquando feliciter quam ceteri discunt, si modo a teneris annis praeceptoribus eruditus tradantur. Hic enim semper floruit bonarum litterarum schola. Ex hoc autem oppido genus suum duxit inclytus heros, Philibertus a Chalon, Aurengiae princeps, qui industria et ingenii magnitudine, ceteros aetate sua principes longe antecellabat.



Philibertus
a Chalon



Ceterum hic stato anni tempore aguntur nundinae celeberrimae quater in anno videlicet statim post Pentecosten, omnium sanctorum festum, Purificationem et prima Quadragesimae septimana. Insignia nostri oppidi sunt ursus abieti acclivis in rubro clypeo cum interiecto medio aureo. Habet insuper nostrum oppidum pagos et vicus amplissimos, qui neque cultu et aedificiis quibusvis oppidis cedunt, supra sex et triginta.

Ager cum primis uberrimus est vel pecori alendo vel fecundae sementi aptus. In eo enim nascitur triticum purum, filigo, hordeum, avena, faba, pisum, lens, vicia et alia legumina. Lumentorum et pecudum summa est fecunditas, quae incolentium nutrimento non levem praestant utilitatem. Arboribus plenus est: pomis, piris, avellanis et prunis, aequae mansuetis atque silvestribus abundans. Montibus excelsissimis et nemorosis undique circumvallatur. Longitudine autem trium, latitudine vero duum millium est; et irrigant eum fluvii tres amoenissimi et pisculenti. Undique enim sunt piscium vivaria frequentissima. Hi autem tres fluvii septem molendinorum rotas agunt. Fuerunt etiam arces, quae bellorum calamitatibus extremam passae sunt desolationem et tantum illarum visuntur ruinae: in his fuit *Molprensensis*, a *Bar* dicta. Ad occidentem partem apud *Charancum vicum* (hodie Charancy) in eo quotidie innumera Romanorum numismata, quorum nonnulla vidi, effodiuntur et reperiuntur.



Charancus vicus

*Gilbertus Cognatus Nozereti, ex patre Claudio Cosino et matre Ioanna Daguet natus die mercurii 21 Ianuarii hora ferme sexta matutina anno 1506 regnantibus apud Germanos Maximiliano Friderici eius nominis tertii imperatoris, filio, 28 Germanorum imperatore, in Galliis vero Ludovico 12 Romae Iulio 2 pontifice — Desiderii Erasmi Roterodami discipulus et amanuensis atque huius chorographiae autor, primus canonicus a Renato Nassovio, Aurengiae principe, Philiberti a Chalon successore inauguratus est; successitque in Erasmi Galtheri canonem postridie quo is decesserat.

Excerpta e libro anno 1553 edito qui *Brevis ac dilucida superioris Burgundiae, quae Comitatus nomine censetur, descriptio per Gilbertum Cognatum Nozerenum* inscribitur, vobis proposuit Stella Gitta.





Gasparis Murtulae (ca. 1570-1624) neniae tres soporiferae, quas proposuit Theodericus Sacré (III)

III. Ad suam infantulam oculis conniventem invitare somnum ac illum laudat¹

Somne, veni: tremulis nictat tibi Cloelia ocellis;
somne, veni, venias, blandule somne, veni.

Adventu, bone somne, tuo sua lumina condet,
compescet gemitus te veniente suos.

Tu mentes hominum mulces, tu pectora, somne,

dulcia tuque animis otia, somne, refers.

Te vir, somne, cupit, te femina, blandule somne,
te, somne, et iuvenes, te quoque, somne, senes.

Tu facis aureolos pueros, dulcissime somne;
tu pupas blandas, blandule somne, facis.

Huc igitur, bone somne, veni, mellitule somne:
dormiat adventu bellula pupa tuo.

Venisti, bone somne: suos en condit ocellos,
en condit genulas² Cloelia bella suas.

Somne, vale, bone somne, vale, somne optime, somne,

nannarum³ inventor, blandule somne, vale.



5



10



15



¹ Murtula, *Naeniae*, p. 14 (naenia 2). Cfr. Pontani *naenia prima*: "Somne, veni; tibi Luciolus blanditur ocellis; / somne, veni, venias, blandule somne veni (...)"

² Genula (nomen veteribus ignotum) = gena, sive oculus, palpebra.

³ Nanna: cfr. II, v. 49.

Theodericus Sacré, Lovaniensis



Nicolaus Wolf
(1756 – 1832)

De Nicolao Wolf Rippertschwandensi sive Patre Wolf

Kalendis Maiis anno nostro 2006°, die Dominico, magnae sollemnitates erunt in vico Lucernensi nomine Novitemplo (Neuenkirch). Novitemplani enim et cum eis magna Helvetiorum peregrinorumque numerus memoriam celebrabunt viri cuiusdam, quem contemporanei non nisi "patrem Wolf" vocabant. Innotuerat tunc temporis, id est saeculis duodevicesimo et undevicesimo, propter charisma speciale et inauditum, facultatem enim homines aegrotos sanandi non medicaminibus, sed Iesu Christi promisso confidens, qui dixerat: "Quidquid in nomine meo a patre caelesti petiveritis, obtinebitis." Nicolaus Wolf in nomine Iesu petebat et obtinebat. Tot miracula eo intercedente facta sunt, ut nullum sit dubium eum inter sanctos esse. Si adhuc inter nos viveret, Kalendis Maiis diem natalem ducentesimum quinquagesimum celebraret.

Nicolaus Wolf (sive, ut Latinius sonet, Lupus), qui saepe „Rippertschwandensis“ vocatur propterea, quod in eo viculo parvo Lucernensi plurimos vitae suae dies degebat, Kalendis Maiis anno 1756° natus est in villa rustica patria Unterlindingae in pago Lucernensi Helvetio. Cuius pater, rusticus nobilis satsique locuples, anno 1765°, cum ecclesia Novitemplana – Novitemplum enim (Theodisce : Neuenkirch) est vicus, cui particulae et Unterlindinga et Rippertschwanda sunt – nova aedificetur, quaestor ecclesiae est. Anno 1773° cum familia Rippertschwandam transmigrat. Eodem anno Nicolai mater vita fungitur. Anno 1775° undeviginti annos natus Romam iter facit Nicolaus. Ibidem magno ecclesiae amore afficitur.

Anno 1779° Barbaram Müller, filiam uxoris alterius patris sui, in matrimonium ducit. Anno 1788° villam rusticam patriam excipit. Animo intenso rerum eversionem Francogallicam tuetur. Constitutionem autem Helveticam a Francogallis victoribus Helvetiis impositam nullo modo

probat, quia ecclesiae libertatem coërcet atque pompas religiosas nec non peregrinationes haberi vetat.

Qua de causa anno 1802° Nicolaus Wolf eis se adiungit viris, qui constitutionem Helveticam perosi novas petunt res. Quorum autem seditione armis Francogallicis Napoleoneque auctore ad irritum redacta Nicolaus noster senatum Lucernensem petit, quo melius ibi pro ecclesiae libertate pugnet. Mox autem intra senatum amorem ecclesiae minimum esse animadvertens iam mense Octobri anno 1803° collegis senatoribus valedicit. Primum consules dubitant, ne receptum probent, quia plurimis votis in senatum electus est, deinde autem assentiuntur.

Priusquam vero se e senatu recepisset, mirum in modum Nicolaus doloribus cruris sanatus est invocato nomine Iesu. Tum etiam alii homines Nicolao nomen Iesu advocante nullis medicaminibus adhibitis variis morbis liberati sunt. Regimen autem Lucernense ecclesiae inimicum eum homines sanare non iam patiebatur atque vicario generali Lucernensi praescripsit, ut facta tam mirabilia et suspecta inquireret. Qui Nicolaum Wolf homines sanare publice vetat, sed clam a potestatibus ecclesiasticis permissionem sanandi petit.

Anno 1814° Nicolaus Wolf villam suam rusticam Ioanni filio tradit, ut omne nunc tempus ad sanandos aegrotos ac suadendum desperatis sumat. Inter tot miracula pauca tantum hic narrentur, ut lectores credant Deum non modo temporibus longe remotis miracula fecisse, sed etiam recentissimis diebus non desiisse potestatem suam hominibus demonstrare.

Mulierem quandam iam ad portem paratam medici sanari non iam posse dixerunt. Iam sacerdos aderat, ut unctionem ultimam viaticumque mulieri largiretur. Quae autem, ut pater Wolf arcesseretur, flagitavit. Qui cum advenisset, super eam preces fudit mulieremque monuit, ut fidem haberet. Statim plane sanata surrexit atque iusculum aliumque cibum sumendum petivit mirantibus omnibus circumstantibus.

Faber quidam Rubricastellanus (Rothenburg) septemdecim annos natus tuberculosa tantopere laborabat, ut optimi medici, quos consuluerat,

eum adiuvere nequirent. Qui cum liberaliter sentiret, primum patrem Wolf adire recusabat, deinde vero timens, ne aliter moriretur, iter Novitemplanum suscepit. Nicolaus Wolf fabrum quinque «Pater noster» decenter orare iussit atque nil aliud cogitare, dum domum iret. Semetipsum pro eo oraturum esse promisit. Cum faber domum adveniret, iam multo melius se habuit nonnullisque diebus post tuberculosa omnino liberatus est. Postea uxorem duxit, liberos habuit, aetate plus sexaginta annorum mortuus est.

Viri cuiusdam membra aqua ferventi tam combusta erant, ut, cum vestimenta exueret, cutis quoque detraheretur. Statim Nicolaus Wolf arcessitus est. Quo orante atque vulnera oleo sancto unguente inflammatio sedata, dolor pacatus est.

Centurio quidam epilepsi vexabatur tali, ut bis in die morbo corriperetur. Anno 1828° cum patre Wolf convenit auxilium petens ab illo viro tunc iam notissimo. Is eum vim mirabilem nominis Iesu docuit et monuit, ut fidens et orans epilepsim vinceret. Centurio narravit se medicis suadentibus vino et multis cibus aliis abstinuisse atque interrogavit patrem Wolf, num talis abstinencia sibi sit pergenda. Qui autem nomen Iesu sufficere respondit. Profecto centurio abhinc non iam epilepsi laborabat.

Anno 1819° Nicolaus Wolf Iosephum Leu cognovit. Quocum magnum coetum oratorium condidit: Multi homines ecclesiam amantes conveniebant, ut orarent pro libertate ecclesiae.

Die autem 18° mensis Septembris anno 1832° Nicolaus Wolf in monasterio sancti Urbani, quo, ut quendam sanaret, vocatus erat, animam creatori reddidit. Multis iam ex annis Romae causa canonizationis Nicolai Wolf agitur, ut is vir singularis ad ararum honorem tollatur. In nomine Iesu Christi adiuwabatur, quicumque auxilium petebant. Tanta erat fama eius, ut etiam Bernenses aliique Christiani protestantici eum adirent. Sic vir vere Helvetius erat omnes amans, neminem recusans, servitio suo nullam pecuniam accipiens.

Martinus Meier


Lili Marleen



Extra hiberna
In decumana,
Trita'rat laterna;
Manebit vetusta,
Conveniemus hoc rursus;
Infra laternam stabimus,
Olim Lili Marleen.
Olim Lili Marleen.



Duae umbrae nobis
Una facta sunt.
Amavimus inter nos
Et omnes viderunt.



Omnes videbunt hac rursus;
Infra laternam stabimus,
Olim Lili Marleen.
Olim Lili Marleen.

Tum vigil dixit
Ut strepuisse vi.
Igitur ad castra
Reveniendum mi.



Ergo te iussi valere.
Malui tecum comitare,
Tecum Lili Marleen.
Tecum Lili Marleen.



Cognoverat vestrum
Incessum passumque.
Vesper' expectabat
Diu oblita mei.
Occiso me, quis stabit tum,

Infra laternam sic tecum,
Tecum Lili Marleen?
Tecum Lili Marleen?

In hebeti die,
Vita quieta,
Memoria teneo
Quam dulci' oscula.
Nebula noctis venio.
Infra laternam solus sto.
Olim Lili Marleen.
Olim Lili Marleen

Lili Marlen



In Latinum vertit Meredith Minter Dixon

Sapientiam artem vivendi esse



Rex quidam defessus, cum iter pergere non posset,
maestus consedit. Viator alter intervenit.

Tum rex naturam testem habens: «Omnia perlustrate oculis; totam
terram diluvies obruit, mala totum oppleverunt orbem, nec iam inveniri
potest, ubi pedem ponatis. Hoc igitur quaerendum est, quomodo ex
omni circuitu mundi evadamus.

Pars quidem nostri una est, in quam nullum fortuna ius habuit: mentem
dico et rationem et intellectum. Atque hanc fecimus culpam: nam quod
et liberum et sui iuris erat nos terrenis bonis implicavimus; ex quo fac-
tum est, ut illud, sicut cetera omnia, fortunae arbitrio subiectum sit. O
imprudentes! natura ipsa feras exagitatas monuit ut, corporibus detec-
tis capita occultarent; nos praecipuam nostri partem, quae ab omnibus
contumeliis natura tuta erat, foras exhibuimus, et quod nec manu tangi
nec vulnerari poterat, ad ictus obiectavimus. Quid igitur nunc restat nisi

ut partem illam immortalem, e rebus humanis abstractam, in sancta ea civitate, quae nobis a deo parata est, constituere conemur?

Forsitan existimetis sedem vestram illic ubi non sitis constitui non posse, meque frustra vobis, dum in mediis undis fluitetis, de terra aut de securitate portus loqui. Quid vero? Nonne navem hanc videtis, quae, longe a portu suo ventis ac fluctibus iactata, per ignotum navigat mare? Quod si tempestatibus vexatur, si solem nubes obscurarunt, prudens tum gubernator, ne in scopulos feratur, ancoram iaci iubet; ex quo fit, ut navis illa inter fluctus stabilitatem et terram mediis in undis et quasi portum quemdam in ipsa vastitate tumultuque Oceani securum nanciscatur.



Hac umbra rivoque multo libentius devincior quam arguto eius molestoque ingenio, qui me respirare non sinit. Nec difficilia ego nec rara nec mirabilia quaero: pulchritudine delector simplici, iucunda, commoda. Etenim nemini quidquam invideo. Nec quod pulchrum est, etiamsi generi vivo hominum esset commune, aliquid de pretio suo deperderet; at eo pluris faciendum esset. Naturae quidem vitium atque inopia raritas est. At radii solis nihilominus magnus thesaurus sunt, quamquam orbem universum illustrant. Quid faciam?»

Viator alter respondit: «Si rex omitat investigare populi sui facta, militiae suae et inimicorum, non erit uno die securus de regno suo. Quam bene est populo, cuius rex est, bonae discretionis et boni consilii et sapiens in scienciis, et quam male est ipsi, quando aliquid praedictorum deficit ei!

Si rex eludatur adulationibus inimici et dulcibus verbis, non habendo respectum ad opera ipsius, non erit securus quin subito invadatur ab eo, sicut illi, qui leonis saltu subito et ex improviso invaduntur, non possunt evadere mortem. Interest regis informare filium scientiis, qualiter suum regnum conservet et qualiter sit rectus in populo suo et qualiter dirigat militiam suam; nec permittat eum multum uti venatione aut aliis vaga-

tionibus, et instruat eum eloqui composite et vitare faciat vanitates. Interest quoque regis quod sua beneficia in bonis viris appareant et in his, qui scire nituntur ut, ob hoc, ad praedicta proficere melius innitantur. Interest etiam regis ut, cum vult sibi serviri ab aliquo de suo ministerio, sciat prius mores ipsius, et qualiter se gubernet et domum suam et socios; et, si perceperit eum esse bonorum morum, gubernat rem status sui et observatorem legis, et toleret patienter qui contingunt sinistros eventus, faciat sibi serviri ab eo; si non, detestetur eum. Purum amicum diligentem te, scito meliorem esse fratre, patre ac matre optante mortem tuam, ut hereditet bona tua.

Maiores divitiae sunt sanitas corporis et maior alacritas est satisfactio cordis. Oboedientia ex amore firmior est quam oboedientia ex donatione et metu. Experientiae efficiunt bonas castigationes, et aspectus ad fines rerum bonam efficit fidelitatem.

Valentius est tacere quam loqui cum ignorante, et solitudinem quaerere quam iungere se malis. Etenim quando rex est maleficus, melius est ei, qui non noscit eum quam ei, qui magnum locum habet cum eo.



Per sapientiam acquiritur humilitas, bona voluntas, pietas et privatio peccatorum. Non recte agit, qui quaerit sapientiam non legendo et non laborat studens in eadem acquirenda; et ille, qui cogitat eam habere cum quadam habilitate est ignorans. Non decet iudicare hominem ex dictis, immo ex operibus, quia dicta pro maiori parte vana sunt, opera vero consecuntur commoda et damna. Qui elongatur a sordibus et facit quiescere visum et auditum suum ab ipsis, felix est. Cavete vos a malis cibis, et vitetis lucra vilia quae, sicut replebunt bursas vestras pecunia, sic vacuabunt corda vestra divina gratia. Honorate bonos et malos, bonos scilicet ob suas bonitates, malos ut non offendamini ab eis. Sitis idem intus et extra in his quae loquimini ad invicem, nec sit, quod de linguis exprimitis diversum ab eo, quod reconditis in corde.

Multiplicetis taciturnitatem in consiliis nec solvatis linguas vestras coram inimicis caventes ne eis, quibus vos percutiant, arma detis, minuentes contentiones et superfluitates verborum. Cavete a societate malorum et invidorum et hebrorum et ignorantium. Et quando cogitabis bene facere, bene facias incontinenti priusquam impediaris et retraharis voluntate perversa et benefaciendo desistas.

Non invidet quis malo cum bene sibi succedit, quia stabilis non est, nec erit boni finis. Confortetis angustios et tristes, redimatis captivos, curetis infirmos, induatis nudos, cibetis famelicos, sicientes potetis, recipiatis peregrinos, satisfaciatis creditoribus, tueamini iniuriam patientes. Non addatis afflictis afflictionem, immo confortetis et iuvetis eos placidis verbis et ornatis operibus, et si sint homines, qui damnificaverint vos, parcatis eis.

Nitamini amicos acquirere; examinantes eos, priusquam confidatis, consideretis, nec confidatis priusquam experiamini, ita quod non damnificemini per eos, ne vos paenitere contingat.»



Tum rex: «Bene recteque dixisti, monache reverende.»
At viator: «Monachus non sum; frater regis sum. Imperium mihi vindico.»

Rex tamen: «Melior et nobilior rex est, qui in regno suo commutat legem malam propter bonam. Non convenit quaerenti sapientiam, ut quaerat eam ob meritum et pretium, sed propter delectationem, quae est in ea, eo quod pretiosior est omnibus aliis rebus. Vera sapientia est munus fortunae et iudicatrix omnis disciplinae, mortificatioque malorum. Tu fratercule, Lucilii* instar, vindica te tibi!»

* (SEN. epist. 1, 1)


Hanc fabellam vobis finxit Estelle Gitta

PROPOSITIO ALCVINI SOLUTA:

DE SAGO (RV 2/06)


De quadringentis octogesima pars V sunt; et centesima IIII. Siue ergo octuagies V, siue centies IIII duxeris, semper CCCC inuenies. Tot sagi erunt.

Desperantis animi demissio



Quaerite nugas,
pellite libros:
praecipit ista
mos hodiernus.

Pristina virtus
exul ab orbe
hoc scelerato
astra petivit.




Me piget esse
tempore natum
quo mala cuncta
concelebrantur.

Semina sevi
multa iuventus;
nil metit autem
aegra senecta.




Orestes Carbonero

Quis sum ? solutio RV 3/05



Disus sum



Stella Gitta

SOLUTIONES (RV 5+6/06)

De solutionibus nobis missis (omnino XV fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipiunt:

primum praemium:	secundum praemium:	tertium praemium:
Matthias Walter	Rosmarie Lauber	Nadja Olloz
Tanngasse 33	Sonnmattweg 5	Unter Wideregg 283
5036 Oberentfelden	6043 Adligenswil	5078 Effingen

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

H	E	L	E	N	A
E	S	U	R	U	M
L	U	C	I	D	A
E	R	I	G	A	T
N	U	D	A	T	A
A	M	A	T	A	M



Rumoris Varii
domus editoria

LUDICRA CAELICOLUM OBLECTAMENTA Pars ultima

Scaena secunda: in Lucillae gurgustio...

VALERIUS: Falleris: mutuae enim caritatis ignis communi pignore, id est copiosa, quam genuerimus, prole perenni fovebitur alimento.

LUCILLA: Immo utrumque pigebit, quod filiolos a pueritia usque prima periculis atque iniuriis obtulisse videbimur.

VALERIUS: Gravioribus usa argumentis, mihi paene persuasisti; si maritus vero reicior, amasionis ritu attamen admittar!

LUCILLA: Ne ista quidem ratione pergendum esse puto. Iam diutius lusimus, quam pudicam virginem decuit. Gratas iucundasque

amicitiae huius recordationes in interiore animo uterque nostrum conservabit.

VALERIUS: Cur vero hoc inter nos commercium tam longe tibi producere placuit? Cur, immisericors puella, tam diu expectavisti, antequam discidio separatum iri nos mihi nuntiares?

LUCILLA: Quia animi fortitudine repente destituebar, cum consilium, acerbissimum utriusque nostrum dolerem allaturum, significare tibi incipiebam. Quia splendidioris te ampliorisque coniugii opportunitate allectum voluntario aliquando discessu abiturum esse sperabam. Hasce pro me unas afferre excusationes valeo. Ceterum, duriore a diis afficiendam esse poena arbitror eam quae peccare nulla mordente conscientia perseveret, quam feminam malefactorum expiandorum sincere consciam.

Caelestis epilogus

PLUTUS: Victum te esse tandem fateri! Cuius vero cladis eo magis tibi pudendum est, quod sine adversario hac vice certavisti: Lucilla enim Valerii illecebras respuit non quod pecunia honoribusve attraheretur, sed quia amorem ipsum dedignata est!

CUPIDO: Qua ingenii tarditate es, quomodo res se haberent nequaquam intellexisti: nam alienae, potius quam suae, utilitati inserviens, nimio erga sponsum amore magnanima puella impedita est, ne Valerii amorem in aeternum acciperet rependeretque.

IUNO: Neuter vestrum, mea quidem sententia, de altero triumphavit. Desinite, quaeso, ligneorum pupulorum loco homines existimare, quos filis superne agitatis vestro huc illuc arbitrio versetis. E probabilioribus fontibus mortalium consilia re vera scaturiunt, id est ex imo pectore ac dilucida benefactorum delictorumque conscientia. Neque adversus pueriles stolidosque deos cotidiano iis luctandum labore est, verum cum admodum varia inexplicabilique fortunae mutabilitate, in cuius numinis unius potestate versari sese aegros terricolos

- pro certo habeo aliquando sibimet esse persuasuros.
- PLUTUS: Utinam vero coniectura deerraveris!
- CUPIDO: Quid enim, si veridica vates exstiteris, de nobis omnibus futurum est, qui magnum, ut ait Ennius, pedibus pulsamus Olympum?
- IUNO: Ad vana simulacra, vel, si fors benigna adiuverit, ad fabulosas bonorum et malorum virtutum ac vitiorum imagines - quod iam pridem fieri oportebat - recto rerum iudicio redigemur. Nam complura exacta sunt saecula ex quo erraticus ille homo, cui erat nomen Xenophanes, bruta quoque animalia, si pingendi praedita fuissent facultate, deorum lineamenta equis leonibusve adsimilatura fuisse adseveravit... Nec silentio praetereundus est furcifer alius, Euhemerum dico, qui caelestia numina nihil aliud esse censuit nisi mortales, quos communis opinio post obitum ad supernos honores divinumque fastigium extulisset.
- CUPIDO: Istorum vero sententias indoctum secutum esse vulgus negaverim...
- PLUTUS: Quid autem, quod Venerem Sappho, Castorem ac Pollucem Alcaeus, Anacreon Bacchum suis quisque modis numerisque invocaverunt? An Horatii obliviscamur, saeculare, quod dicitur, carmen in Dianae Apollinisque praeconium dictantis? Num Tibullum neglegamus domesticos Lares, ut benigni adsint, versibus suis exorantem? Propertius quoque, ut ex amatoria insania respisceret, in Mentis Bonae sacraria confugit.
- CUPIDE: Nil igitur causae est, cur de salute nostra ante tempus desperemus: adde quod, si recte deorsum conspicio, binarum, quas modo passus est, repulsarum cito immemor, lepidae formosaeque ancillulae Valerius ille amore deperit....
- PLUTUS: Et paternam cruminam, parum decoris commerciis indesinenter ditatam, avide expilat, ut equos ac venaticos canes, sui solandi gratia, nova prodigalitate coemat.....

Orestes Carbonero

Subnoto RV, ut ipse accipiam
(Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
inscriptio cursualis supra indicata est
(Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
ment für jemanden, dessen Adresse oben
angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
frankieren

RVMOR VARIVS
C/o EDITIONS ECLECTICA
Estelle GITTA
Ch. F.-Lehmann 2
1218 Grand-Saconnex


PP/Journal
1218 Le Grand-Saconnex



4/2006

IDIBVS APRILIBVS

MMVI



RVMOR VARIVS



TOMVS 28

FASC. 160